

NUMMUS TRIUMPHALIS
 ULRICI DUCIS WIRTEMBERGICI,
 CUSUS POST BELLUM BAVARICUM, ET
 auctos insigniter Ducatus sui terminos;
 Anno Christi 1504.



GEORGIUS Dux Bavariae moriens RUPERTUM Generum, filium Philippi Electoris Palatini, heredem ex asseribit. Id, cum aegrè admodum amarulenterque ferrent ceteri Bavariae Duces, Rupertus verò neque hereditate cedere; neque salutaria MAXIMILIANI Caesaris amplecti consilia vellet, unà cum patre Philippo Electore proscribitur; Copiis Imperatoris suas conjunxerat Fridericus Marchio Brandenburgensis: Albertus & Wolfgangus Bavari, cum foedere Suevico: Landtgravius Hassiae Wilhelmus: Alexander Comes Palatinus Dux Bavariae & Veldentiae: Inprimis vero Ulricus 17. Annorū Adolescens; & quod bellicae laudis esset cupidior: & quod sumptus faciendos se recepturū consideret, bellū promptè indicit Electori Palatino: educit ad 20000. peditum & octingentos circiter equites, cū necessario belli apparatu: Obsidet Mulbrunnam, Monasterium muro & turribus validum, praesidio 300 virorum firmatum: idque tormentis expugnatum ad deditionem cogit. Inde Knitlingam subigit: Brettam obsidione cingit quidem, sed interveniente Ludovico Palatini filio, rursus liberat. Post exercitum ad munitissimam arcem oppidi Bæseckhaimi movet: quo obtento Leostainium oppidum & arcem obsidet, omnia circum, ferro & igne, populatus: quartoque obsidionis die capit. Inde ulterius movens, arcem & oppidum Weinspergum, Neustadū ad Cocham: Meckmūlam oppidum & arcem in potestatem suam redegit. Non minus ceteri etiam principes quos Caesar ad bellum excitaverat, plurimum damni Palatinatui intulere. Superato sic Ruperto, & Electore Philippo admodum humiliato, pacem tandem Caesar utrobique mandavit. Cui principes obediētes, rebus benè gestis, domum sunt reversi: cum expeditio isthaec bellica 17. hebdomadas durasset. *Crusius in annalibus*

Suevicis Author.